

*nere & spirituum scientia.* Hinc duæ nascuntur Metaphysicæ partes. i Quæ *Ontologia* vel etiam *Metaphysica generalis* appellatur universalissimas *existentiæ, essentiæ, possibilitatis, substantiæ, attributi* notiones variasque entium relationes generatim considerat. Pars autem altera quæ *Pneumatologia* vel etiam *Metaphysica particularis* vocatur, Deum Optimum Maximum, spiritusque ab eo creatos contemplatur. Neque me reprehendant superciliosi censores, quod in rebus Metaphysicis sola ratione innixis sanctorum Patrum testimonio non raro laudaverim; hanc enim auctoritatem licet impense venerandam non adhibui nisi ratiocinatione aliqua suffultam; atque auctoritatis & rationis pondus simul jungere consultius validiusque judicavi. Jam de Metaphysicæ partibus singulis breviter dicam.

Ontologiæ utilitatem maximam expressa definitione nemo non intelligit; hæc enim abstractissimas exponit rerum omnium notiones ac proinde universalissima scientiarum omnium principia continet. Et certe quæ a cultioribus Metaphysicis tractari solent de *essentiæ & attributis, de necessario & contingente, de finita & infinito, de simplici & com-*